

Nec Chaos, nec mundus extitit ab æterno.

Duo principia juxta poetas.

victum gignerent, & alia vitæ præsidia: & indidit mentibus multas notitias, & discrimen honestarum & turpium actionum: & horribilibus exemplis prænit atrociora scelera, etiam in hac mortali vita, ut agnoscamus, & esse Deum, & iustum, veracem, & castum esse. At vero, quod docent Poetae, Chaos, unde mundus fabricatus est, extitisse ab æterno: in hoc minime conveniunt cum sacris literis; quia Moses tradit, materiam illam à Deo esse creatam per verbum ex nihilo. Quare eorum doctrina, etsi non per omnia sacris literis consentanea est, tamen accedit propius ad Veritatem, quam opinio Aristotelis & aliorum, qui negant mundum habuisse initium. Statuerunt autem Poetae duo principia, Deum & Chaos, sequuti Hermetem Trismegistum Aegyptium: ex cuius doctrina Stoici finxerunt duo aeterna: alterum, Deum seu mentem: alterum, Naturam seu Materiam. Sic enim Hermes docet: Principium omnium, quæ existunt, Deus est seu mens, & natura seu materia. Quibus etiam verbis hoc consentaneum est, quod Ovidius in hac fabula Deum & naturam coniunctim nominat, utrique tanquam æterno ascribens rerum primordia, cum ait:

Hanc Deus & melior licem natura diremit.

De mente quoque idem sentire mihi videtur, licet non aperte: nam cum inquit:

Sic ubi dispositam, &c.

Dubitat (opinor) num debeat creationem attribuere Menti, quemadmodum Plato. Is enim in Phaedone scribit, Mentem esse architectatricem mundi: in qua sententia & Anaxagoram, aliosque multos fuisse constat.

## F A B. II. SIC VBI &C.

### De hominis creatione.

Iaphet.

Noë filius.

Iapetus fuit Iaphet Noë filius maior natus: hunc ut virum sanctum, antiquitas non in mortalium sed caelestium numero habuit: eiusque liberos, quos Poetae Titanas vocant, antiquiores genere humano celebravit. Ex filiis au-

tem